



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Excommunicati denique (majore excommunicatione) ad testificandum in judicio admitti non debent, quia inter infames numerantur, prout colligitur etiam ex o. *Veniens. 38. h. t. junctâ Glos. à final.* & cavetur etiam hoc expressè in c. *Decernimus 8. De sent. ex communi in 6.* Ita tamen, ut excommunicatus non toleratus sive vitandus à Iudice repelli debeat, etiam parte nihil opponente, si autem vitandus non sit, possit quidem Iudex à testificando eum repellere, si excommunicatio publicè nota sit, non tamen teneatur, nisi pars adversa de excommunicatione contra talem testem excipiat, quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, & cum hoc communicare possit, non autem cum illo; pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato non vitando communitate possit, non tenetur hoc favore sibi concessio uti, & consequenter à testificando eum repellere potest. In crimine tamen hæresis ob favorem Fidei, ad probandum hoc etiam excommunicati admittuntur.

§. III.

Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis?

Primò, non admittitur testis in judicio patens pro filio, aut filius pro parente, propter naturalem amorem & affectionem; & hinc extenditur hæc assertio etiam ad matrem, ad omnes ascendentes in linea paterna & materna, ad filios naturales tantum, spurios & incestuosos, ad filios adoptivos, si in patris adoptantis potestate sit adoptivus, imò nec vitricus pro privigno, nec privignus pro

vitrico testari potest, &c. Plures tamen etiam casus referuntur, in quibus filii pro parentibus, aut parentes in causis filiorum testes esse possunt, quos vide apud Auctorem hoc loco relatos, quamvis non in omni casu sint semper omni exceptione majores. Ob hanc tamen etiam naturalis affectionis rationem, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito testificari potest regulariter, nec sponsus pro sponsa, aut concubinarium pro concubina, nec consanguinei aut affines, in causis criminalibus vel Civilibus arduis, pro consanguineo, aut affine in tertio saltem gradu, ut testes admittuntur, nisi modici tantum præjudicii causa Civilis esset, aut in causa Criminali ad necessariam Rei defensionem, & ostendam innocentiam adhiberetur illius testimonium, aut partes expressè contentæ essent, cum vel sit exigua erga alterutram partem testis talis affectio, vel utriusque æquè affectus sit, &c.

§. IV.

An & in quibus casibus testes domestici produci possint, vel familiares, vel amici, & an etiam subditi possint testimonium dare pro suis Dominis?

Triplex dicitur dici possunt aliqui domestici. Primò strictè, sicuti se habent Maritus & Uxor, & nati ex illis liberi, & qui sunt sub patria adhuc potestate; de quibus, quòd pro se invicem testes esse non possint, priore §. dictum. Secundò domestici dicuntur in latiore sensu, omnes etiam famuli & famulæ pretio & mercede conducti, qui in eadem domo sub potestate unius patrisfamilias habitant